



## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Geschichte der geistlichen Stiftungen, der adlichen Familien, so wie der Städte und Burgen der Mark Brandenburg**

[Urkunden-Sammlung für die Orts- und spezielle Landesgeschichte]

**Riedel, Adolph Friedrich**

**Berlin, 1849**

V. Die Markgrafen Otto und Conrad überlassen der Stadt Brietzen die Abgaben von mhereren Häusern der Stadt, am 2. August 1301.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-54022](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-54022)

IV. Die Markgrafen Otto und Conrad vereignen der Stadt Brietzen das Dorf Sernow,  
am 16. März 1301.

Nos Otto et Conradus, Dei gratia Brandenburgenses et de Landsberg Marchiones, recognoscimus et tenore presentium protestamur, quod dilectis nostris Civibus Civitatis Britzene de maturo consilio nostrorum Consiliariorum appropriavimus villam Sernow cum omnibus attinentijs suis, videlicet agris, lignis, pascuis et pratis ac alijs ad eandem spectantibus perpetuis temporibus possidendam, ita ut jam dicti Cives edificia in jam dicta villa nunc edificata destruant et ipsam villam cum predictis attinentijs suis jure civitatis perpetuo possideant, quemadmodum ipsius verissimi possessores. In cujus rei seu facti evidentiam firmiorem presentes literas nostrorum sigillorum appensionibus duximus roborandas adhibitis testibus idoneis, scilicet nostris fidelibus Heinrico de Daemis viro nobili Ottone de Ronis, Henningho de Mentitz dicto et Alberto de Bertecow militibus nec non alijs quam plurimis fide dignis. Actum et datum in Civitate Prentzlow, Anno Domini MCCC°. primo, in quarta feria ante Dominicam qua cantatur: Judica me Domine Deus.

V. Die Markgrafen Otto und Conrad überlassen der Stadt Brietzen die Abgaben von mehreren  
Häusern der Stadt, am 2. August 1301.

Nos Otto et Conradus, Dei gratia Brandenburgenses et Landsberg. Marchiones, Recognoscimus tenore presentium publice protestantes, quod fidelibus et dilectis civibus nostris in Brietzen omnes domos circa cimiterium scti. Nicolai edificatas et circa theatrum, casas inceptorum constructas vel construendas dedimus cum censu edificiorum pretactorum possidendas perpetuo proprietatis titulo et quiete omni juri libere, renunciantes quod habere poterimus in iisdem. In cujus rei evidentiam hanc litteram desuper confectam eisdem civibus dari iussimus, nostri sigilli robore communitam. Datum Brandenburg per manus Hartmanni scriptoris et nostre Curie Capellani. Presentibus Ottone de Ronis, Conrado de Wegenleve et alijs pluribus Clericis et laicis fide dignis. Sub anno Dni. M. CCCI jn die sanctorum Thimothei et Symphoriani.

VI. Otto, Pfarrer in Brietzen genehmigt Namens der Pfarrkirche die Abtretung des Dorfes  
Sernow an die Stadt, am 23. Nov. 1301.

Otto, Dei gratia Cantor ecclesie Magdeburgensis et Plebanus in Brizena, omnibus ad quos presens scriptum pervenerit orationes in Christo devotas. Vniversa negotia que geruntur in tempore ne sequantur naturam temporis, eternari debent munimine litterarum. Cognoscat itaque presens etas et sciat postera, quod discreti viri consules et universitas civium in Brizena villam dictam Sarnowe nostre ecclesie in Brizena adherentem ad predictam civitatem Brizene transmutarunt salvo omni jure nostro ac successoris nostri, ita tamen ut nobis jure ecclesie jam dicte Brizene ac successori nostro de omnibus, que quondam Burgenses nobiscum placitaverunt, integraliter satisfiat, super quo assensum